



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Macarius Alexandr. 2. Ianuarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

exemplo; discite obedientiam, quam patri suo exhibuit & Matri; discite virtutes ceteras; ut vitæ lumen in te valeas possidere; Christum sequere, Christum imitare, ut ad ipsum pervenias. B. Laur. Just. de interiore conflictu.

## S. MACARIUS ALEXANDR.

2. Januarii.

**H**UNC MACARIUM nomine suo Alexandria; Himò fallor, suo ille Alexandriam beavit. VII. annis sine cocto edulio, sine omni somno dies XX. quadragintadiæ jejuniùm sine omni cibo transegit. Satur intereà cæli deliciis, & piis nunquam non lacrimis ebrius. Inter hæc Cupidinem bella sibi moventem aggressus, culicum præsidio corpus cinxit; quos inter cum sex adedò menses nudus decertasset, horum aculeis longè hostem submovit. Quid multis? brevi tam parvo milite ingentem; & formidandum tyrannum debellavit. Pœnitentem Sacerdotem à sacrilegâ Venere, & qui in pœnam afflicti corpore serpebat, cancro eâ lege absolvit, ut ne porrò sacrificaret impurus. Nec in homines solum pius, cæcum feræ, nescio cujus, partum sputo suo illitum lumine donavit, oviculæ exuviis à gratâ parente vicissim donatus. Inter precandum ita se ipsum fertur adhortatus: *Anime mi, ne te in terras è calo demitte: ibi Deum & cum Deo Dei aulam omnem habes.* Viderat nimirum quandoque, quàm multiplici dolo astuque turbare precantium animos malus hostis niteretur. Ob hæc aliæque ejuscemodi prædicantibus verè MACARIUM, hoc est beatum, ut qui mundo tam bellè illuderet, illud responsi dedit, caverent, ne ipsis mundus illuderet. Vivere porrò desuit, cum an-

num



num ageret centesimum, & documento sanè fuit mortalibus, frugalitate & vitæ religiosæ asperitate non minui annos, sed crescere. *Ex vit. PP.*

*Qua segnitates est, capi ineptis cogitationibus, cum Dominum deprecaris, quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm quòd cum Deo loquaris: Quomodo te audiri à Deo postulas, cum te ipse non audis? S. Cyprian. de Orat. Dom.*

S. GORDIUS MARTYR. 3. Ianuarii.

**P**otuisses olim eremum campum dicere Martium, unde illi prodirent, qui bella orbi, qui tyrannis moverent. Ita GORDIUS etiam noster è nobili militum tribuno Christi tiro, ubi sat diu in antro ad eremi leges exercuisse velut ad palum se, & piæ militiæ satis prælusisse jam visus sibi est; progressus demum festo die in medium theatri, fassusque CHRISTI se militem, corpus frustatim concidendum carnifici obrulit: id unū exoptans, plures animas habere, ut plures per mortes Duci Deo invictum se probaret. Scilicet ad insolitum hoc spectaculum exclamârunt Christiani pariter, & hostes horum. Et obstupere hi, quòd unius hominis virtus totum theatrum impleret. At illi Deo, GORDIO, sibi que gratulati sunt, cum viderent tot inter certantes quadrigas longè omnes equos ad palmam præcurrere Christianū, jamque hunc unum illo die ex merito coronandum animo perciperent. Interea GORDIUS monentibus amicis, qui servatum cupiebant, ore CHRISTVM suum tantisper proscriberet, animo coleret; *ita ne verò, ajebat, omnem militibus aditum ad calos præcluditis? Me quidem Longinos & Cornelios juvat emulari. Christum vobis coram si negem, calo coram ille negabit.*

Hæc